DISSERTATIO JURIDICA
DE

IVRE FONTIUM.

QVAM
AVXILIO DEI INVOCATO,
CONSENSU ET AUTHORITATE
Magnifici Senatûs JCtorum
IN ILLUSTRI HAC SALANA
SUB PRÆSIDIO
VIRI
NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, CONSULTISSIMI ET EXCELLENTISSIMI
DN. GEORGII ADAMI STRUVII, Hæreditarii in Uhlſtädt/
JCti & Anteceſſoris hujus Academiæ longè famigeratisſimi, Conſiliarii Saxonici, Curiæ Provincialis & Scabinatûs Aſſeſſoris gravisſimi, Facultatis Juridicæ Senioris ſpectatisſimi, meritisſimi,
DN. PATRONI, PRÆCEPTORIS ATQVE PROMOTORIS SUI SUMMO HONORIS AC OBSERVANTIÆ CULU ÆTATEM DEVENERANDI,
Publicæ placideq; Eruditorum disquiſitioni ſubjicit
IOHAN. BERNHARDVS BEYER,
NAUMBURGENSIS, AUCTOR.
Ad d. Decembr.
H. L. Q. C.

JENÆ, Literis Johannis Jacobi Bauhöfferi.
Anno M DC LXII.

DISSERTATIONIS JURIDICÆ DE

JVRE FONTIVM,

INTROITUS.

QVanquam æternus univerſi hujus Conditor & Opifex, DEUS TER OPTIMUS MAXIMUS, Orbem terrarum omnibus bonis exornavit atque explevit, ita quidem ut cuncta humano generi uſum præberent, negari tamen vix poteſt, quin unum præ altero magis neceſſarium ſit, atque utile. Certum verè eſt, quatuor dari principia ſ. elementa, quæ tàm vehementer inter ſe qs. conjuncta & conſociata ſunt, ut animadvertere liceat, non ſolùm naſcentia eſſe ex his procreata, ſed etiam res non ali ſine eorum poteſtate, neque creſcere, neque conſervari. Exiſtimatur tamen à quibusdam Philoſophis, ex poteſtate aquæ omnes res conſiſtere. Hinc Thales Mileſi' unus è ſeptem ſapientibus omnium rerum principium aquam eſt profeſſus. Et Heſiodus breviter, ſed nervoſe dixit : ἄριϛον μὲν ὕδωρ id eſt optimum elementum eſt aqua. Sed quidni vero rectè! Non tantùm enim ad victum & potum, verùm ad infinitas quoque alias neceſſitates aqua inſignes & gratas præſtat utilitates. Inter aquarum verò

ingentem quotidiè & continenter fluentis aquæ copiam ex imbribus & pluviis generari, cum licèt tempore benè longô pluviæ deficiant, fontes nihilominus curſum & perennitatem ſuam retineant, quod impoſſibile foret, ſi genuinum fontium cauſa pluviæ ac imbres; quia deficiente causâ neceſſariò deficiat effectus. Deinde hanc ſententiam falſam eſſe Sapientiſſimus Seneca ſapientiſſimè deducit *lib. 3. nat. quæſt. c. 7.* cujus verba ſunt hæc: *Ego*, inquiens, *tibi, vinearum diligens forſor, affirmo, nullam pluviam eſſe tam magnam, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat. Omnis humor intra primam cruſtam conſumitur, nec in inferiora deſcendit. Quomodo ergo poteſt imber ſuggerere amnibus vires, qui ſummam humum tangit? Pars major ejus per fluminum alveos in mare auferetur. Exiguum eſt quod ſorbet terra, nec id ſervat. Aut enim arida eſt, & abſumit quidquid in ſe fuſum eſt: aut ſatiata, ſi quid ſupra deſiderium cecidit, excludit. Et ideò primis imbribus non augentur amnes, quia totos in ſe ſitiens terra trahit. Quid quod quædam flumina* (fontes) *erumpunt ſaxis & montibus. His quid conferent pluviæ, quæ per nudas rupes deferuntur, nec habent terram cui inſideant? Adjice, quod in ſiccisſimis locis putei in altum acti, per ducentum aut tricenum pedum ſpatia inveniunt aquarum uberes venas in eâ altitudine, in qua aqua non penetret: ut ſcias illis non cœleſtem eſſe nec collecticium humorem, ſed quod dici ſolet, vivam aquam. Illo quoque argumento hæc optimè refellitur, quod quidam fontes in ſummo montis cacumine redundant.*

V. Quibusdam hæc placet cauſa: Nimirum, quemadmodum in exteriori terrarum parte vaſtæ paludes jacent, magna & navigabilia flumina; quemadmodum etiam ingenti ſpatiô terræ maria porrecta ſunt, infuſa vallibus, ſic interiora terrarum abundare aquis, & lacubus, & ſtagnis quàm plurimis, quæ omninò fontibus præbeant cauſas.

VI. Optima forſan eſt ſententia eorum, qui quæſtionem de origine fontium bifariam intelligi poſſe docent. 1 de primâ & communi origine. 2. de origine quorundam fontium. Prima origo

rigo adſcribitur mari, idq́; autoritate nititur S. Scripturæ, Eccleſiaſtæ 1. v. 7. per occultos enim meatus & cuniculos magnam aquæ copiam in diverſas terræ partes mare effundit, indeque & fontes proveniunt. Et quamvis nos lateat, quomodo aqua, quæ ſuâ naturâ gravis eſt, è mari, quod reſpectu multarum terræ partium humilius eſt, in altisſimos montes aſſurgere queat, exinde tamen huic aſſertioni nihil derogatur: ſed judicamus, aquam non rectô quidem itinere adſcendere, per varios tamen flexus & anfractus ſubterraneis ſpecubus, aliisque cavis locis ſeſe inſinuare, quæ quia anguſta ſunt, eam aquæ portionem, ab extrinſecùs incumbente mari compreſſam, surſum pelli, & egreſſum, quâ viâ posſit, quærere. Scalig. *exerc.* 46. Si verò 2. de origine quorundam fontium particulari & propinquâ ſermo eſt, ſciendum, quòd ſub terra multæ ac magnæ ſint aquæ, ſtagna, lacus, uti teſtantur putei in terram effosſi, atque ex his integri pervenire poſſunt fontes. Deindè ex aquis quoque pluvialibus magnum incrementum accedit. Tertiò aliquid hac in parte etiam præſtat aër, qui ſub terra in cavernis adenſatur, & tandem in aquam reſolvitur. Solus enim aër non ſufficit tantis fontibus ac fluminibus aliis, niſi aliunde augmentum adveniat. Hanc diſtinctionem etiam tradidit Excellentisſ: Dn. Fridem: Bechmann, Philoſophus & P. P. celeberrimus, in colleg. priv. ſuper Phyſicam Horneji.

VII. Ex hac mirabili generatione, aliisque miris & propè incredibilibus virtutibus, quæ de nonnullis fontibus ſpeciatim commemorantur, fortè factum eſt, quòd ſuperſtitioſi Veteres fontibus divinitatem aliquam asſignaverunt: ipſumque hoc non de antiquis Romanis ſolùm, ſed de omni gentilium vetuſtate refertur. Unde etiam Perſæ tàm ὑδρολάτραι, quàm πυρολάτραι dicebantur, nam & per ignem & aquam jurabant. De aliis gentibus res pariter nota eſt. Hinc apud Poëtas fontes dicuntur θεῶν γένος. Colebatur autem iſta fontium memoria ſummâ cum ceremoniâ. Sicut apud Romanos ſpeciali nomine ſacra iſta Fontinalia appellabantur, teſte Feſto. Imò certam Deam fontium habebant, quæ Fontinalis vocabatur

batur. Item porta fontinalis erat. Cæterùm, capita ſolùm omnium fontium habebantur ſacra; hinc, quando apud autores legitur ex ſacro, ſubintellige, capite fontis, nam aqua, quæ ex caſtellis derivatur, non eſt ſacra. Vid. Rob. Keuchen. *in not ad Jul. Frontin. de aqueduct. Rom. lib. 1. pr.*

VIII. Dividi poſſunt fontes (1.) in perennes & minùs perennes; quam diſtinctionem videtur innuere Seneca *lib. 3 nat. quæſt. c.* 16. his verbis: *Sed quare quidam fontes ſenis horis pleni ſenisq; ſicci ſunt? Supervacuum eſt nominare ſingula flumina, quæ certis menſibus magna, certis anguſta ſunt, & occaſionem ſingulis quærere, cum poſſim eandem cauſam omnibus reddere. Quemadmodum quartana ad horam venit, quemadmodum podagra ad tempus reſpondet, quemadmodum purgatio, ſi nihil obſtitit, ſtatum diem ſervat, quemadmodum præſto eſt ad menſum ſuum partus: ſic aquæ intervalla habent, quibus ſe retrahant & quibus reddant. Quædam autem intervalla minora ſunt & ideo notabilia: quædam majora, nec minus certa. Et quid hoc mirum eſt, cum videas ordinem rerum & naturam per conſtituta procedere &c. Sunt & ſub terra minùs nota nobis jura naturæ, ſed non minùs certa.* Hæc ille. 2. In ſalubres & damnoſos. Illi ſunt, qui versùs Orientem fluunt: it. qui inter æſtivos Solis, & hybernos emergunt, magis tamen qui ad æſtivos. It. qui inter occaſus æſtivos ſcaturiunt. Hi ſunt, qui ad auſtrum & Septentrionem prorumpunt; qui proſiliunt è petris, & ex terra, ſub qua metallum conditum, Sed hæc ad Phyſicos remittenda. Vid. Hippocrat. *lib. de aere, aquis & locis.* 3. Sunt vel publici vel privati.

IX. Sicut autem monente Magnif. Dn. Præſide *JCto & Anteceſſore longè celeberrimo, Dn. Patrono ac Præceptore meo religiosè colendo in Syntag. ſuo Juriſpr. Exer. 3. th. 75. & ſeq. & Syntag. jur. feud. cap. 6. aph. 7.* diverſimodè aliquid dicitur publicum; ita quoque fontes diverſimodè tales eſſe arbitror. Publicum ergo aliquid dicitur (1.) cujus uſus & occupatio omnibus patet hominibus (2.) cujus uſus eſt communis, proprietas certæ alicujus civitatis aut collegii. Deinde privatum aliquid dicitur duplici modô. (1.) quod opponitur publico, dum

dum ſcilicet uſui publico aptum non eſt. (2.) quod in patrimonio alicujus privati eſt. Ex hiſce facilè colligi poteſt, quid fontes publici ſint, quid privati. Sed quæritur hîc: An publici fontes in privatorum poteſtatem transire poſſint? Neg. per *tex. expreß. in l. 9. C. de aquaduct. lib.* 11. ubi ab Imp. ſeveriſsimè mandatum eſt, ut Magiſtratus diligenter inquirant ac obſervent, ne fontes publici à privatis ad proprium uſum convertantur: idque non modò de iis fontibus Imperator præcepit, qui ab initio ſtatim publici fuerunt, ſed expreſsè etiam de his, qui primùm quidem privatorum, poſtea per uſum publici effecti ſunt; quippe cùm nec ulla ratio permittat, ut, quod pro communi utilitate datum eſſe cognoſcitur, propriis cujusdam uſibus applicetur *c. 3. de prebend.* Licet per reſcriptum Principis, aut longâ tempotis præſcriptione eos quis ſibi acquiſiverit: multò minùs ſi autoritate illicitâ (propriâ videlicet, vel alterius ad hoc nullam poteſtatem habentis Luc. de Penna *ad d. l. 9.*) nec appetitô colore ſacri oraculi hujusmodi aliquid pertentatum fuiſſe dignoſcitur, ut ipſe loquitur Imp. *in d. l. 9.* Reſcriptum quidem Principis aliàs magnum habet robur *arg. l. 1. pr. de conſtit. Princip.* at, ſi contra jus & utilitatem publicam elicitum, præſumitur ſubreptitium ſeu ſubreptitiè obtentum eſſe, & proinde nullius eſt momenti *d. l. 9. l. 2. C. de navib. l. 2. C. de can. frum. urb. Rom. l. 7. C. de prec. Imp. off. l. ult. C. ſi contr. jus vel util. publ. l. 6. C. de oper. publ.* niſi adjecta ſit in privilegio clauſula derogatoria: Lege non obſtante, *de qua vid* Nobiliſs. Dn. Strauch. *JCtus ingenioſiſſimus, ap. Brunſuicenſes Syndicus primarius, graviſſimus, in Disp. de Statut. à ſumm. Princip. th.* 50. Alii dicunt, quòd non valeat privilegium, ubi totum jus alicujus Reipubl. conceditur, & abſorbetur, veluti quum totus fons publicus conceditur, ut hîc; quoniam Imperator non poſſit donare rem Imperii *arg. l. 3. C. de precib. Imp. offer. l. 5. C. de L L.* Neque præſcriptio hîc aliquid operatur. Nam quando fontes publici totaliter translati ſunt in uſum privatorum, nullô tempore præſcribuntur, etiam centum annis, vel majori, veluti ſenſus *d. l. 9.* habet, *& facit l. 2. de via publ.* quod ſi enim via

 publi-

publica præſcribi non poteſt *d. l.* 2. multò minùs aquæ uſus ad humanam vitam magis neceſſarius, quàm via *l. f. de rivis.* Confirmat ſententiam quoque *l. 6. C. de oper. publ. l. ult. de uſurp. & uſuc.* ſecus eſt, quando aqua ex fonte publico ad uſum ſolummodo trahitur, ita ut pro publico & reliquorum civium uſu congrua portio remaneat, uti patebit infra *th.* 22. Confer. Lucas de Penna *in d. l. 9.* Joh. de. Plat. *ibidem.* An fortè rectiùs dicimus, fontem publicum utique præſcribi poſſe tempore immemorali (*ut quo omnes res mundanæ mutantur Oldendorp. claſſ. 3. act. 2. verſ. Illud.*) ſi ſcilicet remaneat forma fontis publici: Sed ſi mutetur forma uſûs publici, ut puta quòd cum quis posſideat jure privati, etiam ſufficiet præſcriptio 40 annorum. Perez. *in tit. C. de aquæduct. n. 3.*

X. Magna autem urbis utilitas eſt, quum perennes fontes murus includit, pulchrè dicit Vegetius *de re milit. cap.* 10. Nec ſanè immeritò: Non enim pane, non ſale, non tectis tàm frequenter utimur, quàm fontibus. Schönborn. 1. *polit. cap.* 14. Hancce commoditatem probè intellexerunt antiqui, dum primò circa fontes integræ familiæ rudibus ædificiis exſtructis habitarunt, donec plures factæ vicum pagumque conſtituerunt, & poſtea moribus gentium excultis, urbes condiderunt: ex qua cauſa etiam τὸ pagus & pagani, ùt notant Philologi, ἀπὸ τῶν π.γῶν h. e. à fontibus nomen accèperunt Becman. *de orig. LL.* Tholoſ. *Syntag. jur. lib.* 19. *cap.* 1. *n.* 2. Add. Magnif. Dn. Præſ. *Disp. de ædific. priv th.* 2. *&* 3. & latiùs deducit Bodin. *de Republ. lib.* 3. *n.* 328. *& ſeq.* Quid quod ipſe Politicorum Princeps Ariſtoteles 7. *Polit.* 11. omnes urbium conditores dextrè admoneat, ut, ſi urbem omnibus dotibus refertam exſtruere ament, ejusmodi locum eligant, qui præprimis aquarum copiam habeat ſufficientem, & quidem ſi obtineri ullô modô posſit, propriam illius terræ atque domeſticam, quæ beneficiô fontium provenit. Ariſtoteles *d. l. ibiq.* Piccart. & Zvvinger. quippe non minùs in uſu aquarum vel fontium, quàm in ſalubritate loci magna ex parte conſiſtat proſpera valetudo hominum, qui illic habitaturi ſint, *d. d. l. l.* Quibus enim rebus largisſimè & plerumq;

utimur

utimur ad ſuſtentationem vitæ & tuitionem corporis, illæ maximo ad valetudinem ſunt adjumento; at aquarum vel fontium vim atque poteſtatem tali naturâ præditam eſſe, ut crebrò cogamur ad illam confugere, probat ipſe Philoſophus *d. l.* Huc pertinent verba Frontini *de aquæduct. Rom. lib.* 1. quando ait: Fontes ſalubritatem ægris corporibus afferre creduntur; & Simauca refert: aquarum uſum neceſſarium eſſe ad ſanitatis cuſtodiam & morborum medelam *lib.* 8. *de Republ. c.* 18. *n.* 11. Quod ipſum plenè teſtantur fontes ſaluberrimi, quorum plures & Germania noſtra oſtendit, ùt in quibus natura ipſa medicinam facit, & artis ſuæ majeſtatem in plurimis hominibus quotidiè confirmat. Nec minorem utilitatem & commoditatem fontes habent belli tempore, tunc enim licèt cives circumcincti ab hoſtibus, & in urbe incluſi ab agro prohibeantur, aquæ tamen ipſis non deſunt ad quotidianam vitæ uſum, cum eæ ab hoſtibus non facilè eripi aut alio verſum derivari queant, quibus aliàs privati neceſſariò in hoſtium poteſtatem enirent, aut ſiti tabeſcerent, perirentq;. Ariſt. *d. c.* 11. *ibique.* Pictart. & Zvvinger.

XI. Quoniam autem valdè arduum eſt, ſemper adipiſci locum, qui omnibus bonis inſtructus ſit, præſertim iis, quæ civitatem tum ornant tum explent, ut proinde hoc potius votis à Numine immortali expetendum ſit, quàm ſine ejus benignitate ſperandum Ariſt. *d. l. verb.* ἐκ τῶν ἐνδεχομένων. omni tamen ſtudiò curaq; incumbere oportet eum, qui civitatem regit, ut quæ in ipſa publicè deſint, aut conditorum incuriâ, aut loci infelicitate, conſtituantur & exſtruantur. Quod ſi igitur aliqua in urbe aquarum ſtantium vel fluentium copia minùs ſuppetat, ſuadet Ariſtoteles *d. l.* ut conſtruantur receptacula ſ. ciſternæ (*quarum ſæpius in jure noſtro fit mentio*) multæ ac magnæ, quibus excipiatur & contineatur magna vis aquæ pluviæ. Hæc enim leviſſima aqua eſt, & dulciſſima & tenuiſſima, & ſplendidiſſima: quapropter ex omnibus aquis citiſſimè putreſcit, optima tamen eſt potu, & in aliis affectibus. Hippocrat. de aëre, aquis, & loc. Notant igitur Autores, quòd, ſi ſaxeis aut plum-

beis ciſternis pluviæ excipiantur, dulcisſimæ eædem conſer-vari queant. Piccart *ad Ariſt. d. l.* Hinc etiam Veneti, aqua-rum ſalubriu inopiâ laborantes, numeroſisſimis ciſternis huic incommodo ſubveniunt, teſte Piccart. *d. l.* Deinde inſigni-ter quoque completur defectus fontium per aquarum ductus. Sic enim per hunc modum magnificè aquis exſtructa fuit urbs Roma. Quanquam enim ab urbe condita per annos 441. contenti fuerunt Romani uſu aquarum, quas aut ex Tiberi, aut ex puteis, aut ex fontibus hauriebant. quoniam verò in-crementum urbis exigere videbatur ampliorem modum aquæ, Marco Titio, tum temporis Prætori, mandatum eſt à Sena-tu, ut curaret, quatenus alias aquas posſet, in urbem perdu-ceret, & ampliores ductus faceret; ita Frontin. *d. l.* Poſtre-mò, ad complendam inopiam fontium apertorum & fluen-tium, quærenda ſub terra ſunt capita, & colligenda: quomodo autem, & quibus in locis ea experiunda, quærendaque ſint, architectici, vel potius aquarii ſeu aquileges conſulantur. Con-fer. Vitruv. *de architectur. lib 8. c. 1.*

XII. Aſt quoniam hac in re neceſſariò requiritur ars & o-pera aquarii vel aquilegis, ideò pauca quædam de eo mone-bimus. Dicitur autem aquarius etiam aquilex, item libra-tor, *gr.* ὁ ὑδροσκόπος, ὁ ὑδραγωγὸς, ὁ τὰ ὑδραγωγεῖα ἐργαζόμενος, item generaliter etiam nomine architecti venit aquilex. Plin. *lib. 10. ad Traian.* Conf. Robert. Keuchen. *in not. ad Frontin. lib. 1. de aqueduct. Rom.* Conſiſtit verò munus & artificium e-jus in eo, ut peritiam habeat aquarum copiam explorandi & inveniendi, inventamque per ductus & modos docili libe-ratione ad habitationes mœniaque perducendi. Add. Rob. Keuchen. *d. l.* Hic, ſi totum opus certâ mercede faciendum & exſtruendum conducit, redemtor operis ſeu ædificii, ἐργο-λάβος, ἐκλήπτωρ dicitur *l. 51. §. f. loc. l. 12. §. 5. & §. 8. C. de ædif. priv. l. 1. C. de monopol.* Magnif. Dn. Præſes *d. disp. de ædif. priv. th.* 17. Robert Keuchen *in not. ad Frontin. lib. 2.* Tene-tur autem aquilex, veluti alius architectus de levisſima cul-pa. Magnif. Dn. Præſes *d. l.* Vid. *l. 30. §. 1. de damn. inf* a-deoque omne periculum, quod vitiô operis accidit, ad eum

perti-

pertinet *l.* 13. §. 5. *locat. l.* 9. §. *pen. l.* 36. *l. f.* §. *ult. eod.* Don. 13. *cap.* 9. *in fin* usque ad 30. annos, quia tantô tempore durat actio perſonalis *l.* 3. *pr. C. de præſcript.* 30. *vel* 40. *ann.* & hoc locum habet, ſi certum eſt, quòd vitium in opere ſit commiſſum, opusque ex eo corruat. Sin autem dubium eſt, tunc tenetur usque ad annos 15 tam ipſe aquilex, quàm curator operis, quàm alius, cui ad inſtructionem ipſius ædificii pecunia forſan eſt credita, quàm etiam ipſorum hæredes, ut ad hoc eorum patrimonia etiam ſint obnoxia *l.* 8. *C. de oper. publ.* Quod verò vi naturali, veluti terræ motu accidit, licet opere nondum approbatô, locatoris eſt, & nihilominus merces conductori aquario præſtanda. *l.* 36. *l.* 37. *l.* 59. *locat.* ibique Gothofr. Sed quid ſi opera & ſumtus fruſtra fuerint impenſi, puta quòd nulla aqua fuerit inventa? Diſt. aut aquilex periculum in ſe ſuſcepit, aut non ſuſcepit. Priori caſu tenetur actione locati *l* 13. §. 5. *in fin. locat.* Poſteriori verò ſufficit, ſi ob dolum malum & latam culpam, etiam hôc caſu ex delicto dolo comparatam, conveniatur. *l.* 1. *ſi menſ. falſ.* ratio eſt, quia civiliter & ex contractu aliquo non eſt obligatus, indeque nec Prætor voluit, eum ultra dolum teneri, ac ſibi imputare debeat dominus, qui minùs peritum aut negligentem elegit artificem, vel aquarium. *Vid. nervosè hanc rem tractantem* Præ-Nobiliſs Dn. Præſidem *Exer. ad π.* 15. *th.* 62. *junct. th prec* 61. add. *Exer.* 24. *th.* 24. Deinde, ſi aqua quidem fuerit inventa, & fontes exſtructi, vitiô tamen operis, in exſtructione & præparatione commiſsô, laborarent, ſed antequam approbarentur vis major vel naturalis accedat, & hâc vi, non operis vitiô corruant vel intercidant, ad quem pertinebit damnum? Hîc & cum Magnif. Dn. Præſide *in d.* D. *de ædif. priv. th.* 7. dicendum videtur, locatori quidem ſumtus impenſos perire *arg. l.* 36. *in fin. l* 37. *l.* 59. *locat.* ſed mercedem pro opere iſto vitiosè exſtructo aquarium non petere, ſed potiùs ut reddat; imò & ad intereſſe præſtandum conveniri poſſe. Add. Donell. 13. *c* 9. *B in f.* Cæterùm, adverſus aquarium, vel redemtorem datur actio utilis ex edicto ſi menſ. falſ. mod. dix. *arg. l.* 7. §. 3. *illius tit.* Weſenb. *in π. ibid. n.* 4. Magnif. Dn. Præſes *d. Exer. ad π.* 15. *th.* 65.

XIII. Licitum verò cuivis eſt, in ſuo ſolo quærere & exſtruere fontes: quia unusquisque in ſuo ædificare vel facere poteſt, quodcunque libet vel placet. *l. 24. d. S. P. U. l. 8. l. 9. C. de ſervit. Gail. 2. obſ. 69. Bart. in l. 1. §. 12. de aq. pl. arc.* etiamſi 1. vel nunquam in illo fontes fuerint exſtructi: 2. licet etiam alteri per hoc ipſum noceamus, *l. 9. de S. P. U. l. 26. de damn. infect.* is enim qui ſuo jure utitur, nemini damnum vel vim infert, quia facit id, quod leges ſibi permittunt *l. 55. de R. J. ibiq;* Ant. Matth. *n. 1. & 2. d. l. 26. de damn. inf. l. 24. §. f. eod. l. 9. de S. P. U.* Everh. jun. *1. conſ. ult. n. 5. 6.* Cothm. *2. conſ. 93. n. 36.* Hinc, ſi in meo prædio puteum aperiam, quo apertô venæ putei vel fontis vicini mei præcidantur, non teneor ex hujusmodi facto, etiamſi vicino promiſiſſem de damno infecto, quippe quia jure meo & licitè feciſſe videor, *text. ſunt expresſi in d. d. ll. & l. 1 §. 12. l. 21. de de aqu. pl. arc.* ſive tota aqua avertatur, ſive ſaltem pars ejus. *Gl. in d. l. 24. §. ult. in f. & l. 26. de damn. inf.* neque poteſt exiſtimari tale damnum vicino dari ex vitio operis mei in re mea, in qua meo jure uſus ſum *d. d. txx.* Nobiliſſ. Dn. Præſes *Exer. ad π. 39. th. 19.* Cœpoll. *de S. P. R. c. 4 n. 51.* Et licet fortè expreſsè in ſtatutis cautum ſit, **Daß Niemand ſeinem Nechſten zu Schaden bauen ſolle /** damnum tamen, dum quis ſuo jure utitur, eveniens, non intelligi, tradit Dav. Mævius *ad jus Lubecc. lib. 3. tit. 12. art. 7. n. 7. & n. 15.* quippe cum damnum hoc non ſit conjunctum cum injuria. Magnif. Dn. Præſes *D. de ædif. priv. th. 36.* Si quis vero ſic utitur jure ſuô, ut vicino potiùs noceat, quàm ut ſibi proſit, illicitum eſt. *Gl. in l. 1. §. 12. de aq. pl. arc.* & tunc prohiberi poteſt, quia magis ſuo jure abuti, quàm uti videtur. Dec. *in l. 55. de R. J. n. 2.* Unde limitari debent prædicta (1.) Niſi ad æmulationem & injuriam alterius h. e. non ad meam utilitatem, ſed animô nocendi alteri faciam. Gail. *2. n. 69. n. 17. & n. 21.* Alex. *2. conſ. 174.* Cravett. *conſ. 94. n. 2.* Magnif. Dn. Carpzov. *2. conſt. 41. d. 11.* tunc enim de dolo teneor, ùt apparet *ex l. 1. §. 12. de aq. pl. arc.* In dubio verò non præſumitur, quòd faciam animo nocendi Gail. *d. l. n. 30.* Alex. *d. conſ. n. 5.* Allegans itaque æmulationem, eam probare debet Maſc. *c. nc. 261. n. 2.* Gail. ibid. *n. 31.* Sed num quid

ad æmulationem ædificans vel fodiens de jure naturali peccabit contra juſtitiam? Negat Molin. *de J. & J. tr. 2. D. 709 n. 7.* propterea, qui ſuo jure ædificet, & ſolùm contra charitatem eum peccare vult. Verùm ſolidiſſimè reſp. Magnif. Dn. Præſes *c. l.* abſurdum eſſe dicere, eum, qui ad æmulationem ædificet, jure ſuô ædificare, quoniam ita ædificans alterum non tantùm lædat, ſed etiam injuriâ, ex animo nocendi profluente, afficiat. Ubi autem fit injuria ibi peccatur contra juſtitiam, quia hæc duo ſibi invicem ſunt contraria. B. Dn. Ungepaur. *Exer. 2. q. 1. in neg.* (2.) Limitatur: Niſi fodiendo vel exſtruendo in noſtro immittatur quid in alienum. *l. 8. §. 5. l. 14. l. 15. & l. 17. pr & §. f. ſi ſerv. vind.* nam, ſi ita fodiam ut per hoc vicinarum ædium fundamenta labefactentur, tunc ſcil. ſtipulatio damni infecti committetur ſive animo nocendi faciam, ſive non *l. 24. §. f. inf. de damn. inf.* Nonnulli quidem exiſtimant, & hîc ſubintelligi debere, ſi facerem animo nocendi *ut l. 1. §. 12. d. aq. pl. arc.* & ſic eſſet idem quod in ſuperioribus. Verùm hanc opinionem eſſe erroneam patet ex ipſis verbis *h. §. fin.* Si tamen &c. quibus ſcilicet JCtus aliquid aliud vult dicere. Unde videtur verſ. illum intelligi debere, etiam de eo caſu, quo animum nocendi non habeam, quia ſpontè fuit ſtipulatio interpoſita, ſi damnum fieret occaſione hujus foſſionis. *Ita tenet Gl. in d. tx.* Sicuti enim cœlum ſupra ſolum eſt liberum relinquendum: ita ſub ſolo alieno fodere haut licet *l. 21. §. 2. quod vi aut clam.* (3.) Limit. niſi publico fonti vel puteo per foſſionem in noſtro incommodum adferatur, vel exinde metui poſſit damnum in publicum fontem redundaturum: tunc enim quod in meo fodere vel exſtruere incepi, aut actualiter & perfectè exſtruxi, iterum obſtruere atque operire cogor *arg. l. 14. C. de oper. publ.* non enim permittitur quidquam exſtrui, quod publicæ obeſt utilitati *l. 3. ibi: materiam ſeditionis præbeat. ff. de oper. publ.* (4) Limit. niſi vicino ſervitutem eo nomine debeam. *l. 21. de aq. pl. arc.* vel conventione vel præſcriptione quæſitam: quoniam ea, quæ diuturno tempore obſervata ac obtenta ſunt, in præjudicium alterius mutari non debent *l. 7. C. de ſervit.*

X.V.

XIV. Antequam ad alia progrediamur, videbimus etiam pauca de aliis ſoli generibus. Quod igitur atttinet ſolum jure gent. commune, non dubium eſt, quin & in eo fontes exſtrui à privato queant ad propriam utilitatem; nam quidquid ibi exſtruitur ejus eſt, qui curam & ſumtûs in id impendit *arg. l. 6. pr. de R. V. l. 14. de A. R. D. l. 1. §. 18. de nov. op. nun.* cum nullo jure quis posſit in tali ſolo ædificantem prohibere, *h. l.* modò ita inſtituatur ædificatio ſeu exſtructio, ne impediatur uſus publicus *l. 3. 4. ne quid in loc. publ.* licet damnum fiat alteri, qui prius idem fecit, per ſuperiùs dicta. Unde Prætoris autoritas intervenire debet, ſi non ſit perſpicuum, an obfutura ſit exſtructio uſui publico, nec ne *l. 50. de A. R. D.*

XV. Deinde quod in ſolo publico obtineat, reſpondemus, quòd Prætor omnem exſtructionem in loco publico prohibeat *l. 1. & t. t. ne quid in loc. publ.* quia rariùs, quàm in communi evenire poteſt, ut ſine usûs publici impedimento aliquid exſtrui posſit. Vasq. *controv. illuſtr. part 1. lib. 2. c. 89. n. 39.* Magnif. Dn. Præſ. *d. l. th. 23.* Quando verò quis nemine prohibente in publico fontem exſtruxerit, iſte quidem non facile diruitur, ſed uſui publico cedit *§. 31. J. de R. D.* Eſt enim uſus fontium ampliſſimus & publicæ commodati valdè neceſſarius, ut proinde Magiſtratus contra ſalutem & utilitatem publicam facere videatur, ſi ædificantem cogat, ut fontem rurſus deſtruat *arg. l. 2. in f. C. de ædif. priv.* Quid autem ſi in ejusmodi loco fons fuerit exſtructus, ut propterea alius & major uſus publicus impediretur? is qui operibus publicis præeſt, poteſt diruere & evertere; Sed, ſi publico uſui minùs obſtet, ac fortè copia aquarum in urbe non deſit, imponere illi poteſt ſolarium h. e. vectigal, quod à ſuperficiario penditur pro jure ſuperficiei in ſolo. *l. 2. §. 17. ne quid in loc. publ. l. f. eod.* Add. Frid. Mind. *de interdict. tit. 6. n. 63 & ſeqq.* Magnif. Dn. Præſ. *d. l.*

XVI. Parili modô res habet cum ſolo univerſitatis. Nec enim in eo ſine permiſſu univerſitatis fontem vel puteum quærere licet: Si verò nihilominus, factum fuerit, juxta vulgatam & communem regulam itidem cedit ſolo. *l. 7. §. 10. de A. R. D. §. ex diverſo 31. J. de R. D.* vel, ſi per id incremento Reip.

con-

conſulatur, penſionem ædificans ſolvere tenetur. *l. 1. C. de div. præd. urb. Magn Dn. Carpzov. part. 3 c 31. d 10. n. 11.*

XVII. Devenimus ad ſolum quod eſt nullius, & quidem (1.) ſacrum: atque in hoc nemini aliquid exſtruere licet, ex interdicto, ne quid in loco ſacro, niſi per illud ipſum locus ſacer ornatior fiat, aut ad uſum commodior. *l. 1. §. 2. illius tit.* Vid. Frid. *d. tr. tit.* 1. neque permittitur etiamſi ædes ſacræ in illo loco fuerint dirutæ, quia locus adhuc manet ſacer. *§. 8. in f. J. de R. D. l. 37. pr. de contrah. emt. ibiq;* Gothofr. *lit. a.* (2.) eſt locus religioſus; & neque in hoc aliquid facere licet, niſi ſepulcri causâ *l. 3. §. 6. pr. de ſepul. viol.* unde nec iſtuc loci, ubi cœmeteria vel ſepulturæ olim fuerunt, quidquam exſtruere, fodere, fontes quærere, cellas aut ſubterraneas caveas facere licet, *arg. l. 12. §. 1. de relig. & ſumt. fun.* niſi neceſsitas, aut ipſa rerum locique ratio requirat, quo tamen caſu non profanè, ſed religioſè res agenda. Frider. Mind. *d. tr. t. 2. n. 55. & ſeqq.*

XVIII. Denique ſe offert quoque ſolum, cujus quidem dominium habemus, ſed tamen minùs plenè, idque eſt (1.) feudale. In hoc ſi quæ exſtructa ſunt à vaſallo, feudumque ſine culpa ejus fuerit finitum, ea non tranſeunt ad dominum, vel agnatum feudi ſucceſſorem, ſed ad vaſallum ejusque hæredes pertinent, ita ut pati debeat dominus vel ſucceſſor feudalis aut id, quod exſtructum eſt auferri, aut pretium ejus ſolvere 2. *f.* 28. §. *ſi vaſallus.* quoniam autem cum fontibus ſemper ita comparatum eſt, ut propter neceſſarios eorum uſus potius expeti quàm dirui ſoleant; ita ſecundùm æquitatem & conditionem impenſarum illa electio, quæ penes dominum quidem eſt, ab ipſo temperari debet, ut non malitioſè poſſit eligere & offerre tollendi licentiam, cùm talis fontium exſtructio non ſit inutilis, & ipſe quoque fortasſis eandem in ſolo feudali dudum exoptaverit, vel exſtructurus fuerit; unde potius tali caſu jus retentionis, imò & actio competit, qua quis pretium impenſarum recuperet. Magnif. Dn. Præſes *in nunquam ſatis laudato ſuo Syntagm. jur. feud. c. 15. aph. 16.* Add. Hart. Piſt. *l 2 q. 42. n. 7.* Rittershuſ. *de feud. lib. 2. cap. 6. q. 38,* Vultej. *de feud. lib. 1. c. 11. n. 330. & ſeqq.* Jul. Clar. 4. *recept. ſent.* §.

feud.

feu. q. 88. Feudô verò culpâ vaſalli finitô omnes impenſæ ſeu meliorationes perveniunt ad dominum vel agnatum. Sicuti & Jure Sax. etiam priori caſu ædificia ſolo cedunt feudali, nec impenſæ repeti queunt. Magnif. Dn. *Præſ d. l.* **Land R.** *l. 2. art.* 21. Magnif. Dn. Carpzov. 3. *c.* 31. *d.* 1. 2. Cæterùm, fonte vel puteô in confinio ſive medio feudariæ domûs, ac domûs domini, non ſufficiente utrique, præfertur dominus ratione directi dominii. Dom. Arum. *de jur. publ. diſcurſ.* 13. *q. 9.* (2.) Solum emphyteuticum. Etſi autem ex ipsâ naturâ contractûs emphyteutici res eſt melior reddenda, impenſas tamen in exſtructionem fontis factas, quia non videntur eſſe ex naturâ contractûs, & ad culturam & curam rei non adeò neceſſariæ, emphyteuſi (præſertim ſine culpa) exſtinctâ, repetere poteſt emphyteuta iſtiusque heres. Magnif Dn. Præſ. *d. l. n. 1 in fin.* Bach. *ad Treutl.* 1, *D.* 14. *θ.* 19. *h.* Alv. Valaſc. *de jur. emph. q.* 25. *n.* 3. Vid. Tiraq. *de retract. ſ.* 32. *gl.* 1. *n.* 53 *& ſeqq.* **Land R.** 2. *art.* 53. Aliud obtinet in ſolo uſufructuario, in quo uſufructuarius jure nihil poteſt exſtruere. *l.* 44. *l.* 61. *de uſufr.* Add. *l.* 5. *ſ.* 3. *quib. mod. uſusfr. am.* Si tamen exſtruat, nec petere impenſas, nec tollere, refixa autem vindicare poteſt *l.* 15. *pr. de uſufr.* quia ſine detrimento parietis eximi poſſunt. *Don. & Hillig.* 10, *c.* 10. Magnif. Dn. Præſ. *Exerc. ad π.* 12, *θ.* 22.

XIX. Præterea non prætereundæ ſunt ſequentes quæſtiones I. Si quis in ſuo ſolo fontem exſtruens alienum tignum junxerit, cujusnam fons ille erit? ℞. Ipſe dominus ſoli intelligitur etiam dominus totius fontis *arg.* §. 30. *J. de R. D l.* 2. *C. de R. V. l.* 39. *ff eod. l.* 50. *ad L. Aquil.* neque cogitur probare materiam eſſe ſuam, aut ſe ædificâſſe, ſed ſufficit probare ſoli dominium. Ant. Capyzius *dec.* 117. *n.* 5. non tamen ideò illa materia deſinit eſſe prioris domini (*extra ædificium in ſe conſiderata*) *d. ſ.* 30. *l.* 7. §. 11. *l.* 23. *ſ. ult. de R V.* quamvis non niſi dirutô ædificiô eam poſſit vindicare, vel ad exhibendum eâ de re agere (*contra b f. poſſeſſorem*) quemadmodum Lege 12. tab. expreſsè cavetur, ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur, aliàs enim fontes exſtructos everti ac dirui neceſſe eſſet *d.* §. 30. quod ædificanti damnum afferret, nec tamen ipſi vin-

dicanti

dificanti eſſet commodum *d. §. 30. l. 59. de R. V. l. 32 de uſuc. l 7. §. 2. de except. rei jud. l. 1. §. ult. de tign. junct.* Add. Don. 4. c. 33. *ibiq.* Hillig. Quomodo autem priſtino materiæ domino ſuccurratur, diſtinctim ac nervosè explicat Laudatisſimus noſter JCtus & Præceptor, Magnif. Dn. Præſes *Diſp. de ædif. priv. th. 27.*
II. quær. Si quis in alieno ſolo adhibitâ ſuâ materiâ fontem exſtruit, ad quem ille pertinebit? R. ad eum, cujus & ſolum eſt. *§. 31. J. de R. D. l. 7. §. 12. l. 28. de A. R. D. l. 12. C. de R. V.* Materiæ verò dominus vel eſt in poſſesſione fontis exſtructi, vel non. Priori caſu, ſi dominus ſoli fontem petat, ſolvere debet pretium materiæ & mercedes operarum, aliàs per exceptionem doli mali repelli poterit; & hoc obtinet in b. f. exſtructore; ac m. f. ædificanti ſ. qui ſcivit alienum ſolum eſſe, objici poteſt culpa, quòd temerè ædificaverit in eo ſolo, quod intelligeret alienum *l. 7. §. 12. verſ. certe. de A R. D. §. 31. J. eod.* ex æquitate tamen & huic concedendum eſt, ut ſine diſpendio domini areæ tollat materiam, quam junxit *l. 37. de R. V. l. 5. C. eod.* imò etiam retentionis jus habet *arg. l. 38. de petit. hæred.* Poſteriori caſu, ædificio exſtante non datur actio, quâ pretium materiæ atque impenſæ repetantur, licet b. f. fontem exſtruxerit *l. 59. l. 48. de R. V. l. 33. l. 51. de condict. ind. l. 21. ad SCt. Tertull.* Vid. latiùs Magnif. Dn. Præſ. *Exer. ad π. 11. th. 36.* Fonte verò fortè exſiccatô materia ad priſtinum b. f. exſtructorem redit, isque eam vindicare poteſt *l. 2. C. de R. V.* At m. f. exſtructor ſuâ voluntate proprietatem materiæ amiſiſſe, eamque alienâſſe præſumitur, ac proinde ſtrictô jure iſtam vindicare non poteſt *d. l. 7. §. 12. de A R. D. d. §. 31. verſ. Sed hoc J. eod.* ex æquitate tamen poteſt. Magnif. Dn. Præſ. *Exer. 41. th. 47.*

XX. III. quær. Si quis junctâ alienâ materiâ in alieno ſolo fontem exſtruat, cujus ille erit? Itid. cujus ſolum eſt: nec dominus materiæ poteſt contra dominum fontis agere, niſi dirutô eo ſc. fonte, arg. eorum quæ ſuperius ſunt allata. Bach. *2. D. 20. th. 6. A.* Licet contra exſtructorem materiæ domino ſuæ competant actiones. Præ-Nobilisſ. Dn. Præſes *D. de ædif. priv. th. 29.* Denique IV. quær. Quid ſi in communi ſolo alter ſociorum fontem quærat & exſtruat? prohiberi quidem poteſt, ne quid

In communi area fiat per *l. 27. §. 1. de ſervit. l. 28. comm. div.* Si tamen quid exſtruatur ſociô, qui prohibere poterat, non prohibente, opus factum ut tollat, cogi non poteſt: *d. l. 28.* An verò abſente, aut aliàs inſciô ſociò, exſtruxerit cum incommodo fortè alterius, tollere iterum atque diruere cogitur *d. l. 28. add. l. 26. de S. U. P.* Vid. Coraſ. *ad l. 2. de ſervit. ubi etiam n. 6. & 7. contraria ſolvit.* Add. Magn. Dn. Carpz. *3. c. 31. d. 11.* Perez. *ad tit. C. de nov. op. nun. n. 9.* Quod ſi verò fonte quæſitô & exſtructô de uſu ejus participare ſocius velit, dimidios ſumtus refundere debet, juxta regulam: qui cupit ſentire commodum, ſentiat & incommodum *l. un. §. 4. C. de cad. toll.*

XXI. Quandoquidem ergò tanta fontium eſt præſtantia ut ſalus publica, vitaque hominum exinde pendeat Zvvinger. *ad Ariſtot. 7. Polit. 11.* propterea ſummâ vigilantiâ Reipubl. adminiſtratores curare debent, ut non tantùm novi fontes quærantur & exſtruantur, verùm etiam veteres reficiantur, reparentur, purgentur. Perez. *ad tit. C. de aquæduct. n. 10.* Olim certos Magiſtratus exſtitiſſe legimus, quibus ùt aliorum, ita & fontium quoque in urbe credita commiſſaque cura fuit. Sic Athenis illorum decem fuerunt, ἀσυνόμοι vocati. Romæ verò qui curam circa fontes gesſerint, in ipſis legibus variatur: Interdum enim Ædilium, interdum Cenſorem mentio fit. Frontin. *d. tr. lib. 2.* diſtinctim verò explicat Optimus Doctor noſter, Magnif. Dn. Præſes, *Exer. 45. th. 76.* Add. Plat. *de legib. lib. 6.* & 8. Ariſtot. *6. Pol. cap. ult. ibiq. Giphan. & Piccart.* Atque ſub horum cura non modò publici, ſed privatorum quoque fontes comprehendebantur. cùm ad uſum publicum pertineret etiam ea aqua, quam privati habebant. Frontin. *d. l.* Sicut autem aquæductuum, pontium & murorum, ita & fontium reparatio ad civitatem pertinet. Perez. *d. l. n. 11.* Neque ſanè tàm neceſſaria refectio itinerum eſt, atque fontium, quando iis non refectis omnis aquæ uſus corrumperetur, imò auferretur, & homines ſiti necarentur *l. ult. de rivis. l. un. §. 7. de fon.*

XXII. Sed ad ſumtus reparationum certæ gabellæ aut vectigalia ſtatuenda ſunt *l. 7. C. de aquæduct.* Sic ab Impp. Theodoſio

doſio & Valentiniano ad hanc rem deputata ſunt ea vectigalia, quæ ex univerſis ſcalis (*ita legit Cujac*) i. e. trajectu maris colligi poterat *d. l.* 7. Quam lectionem Cujacii approbare videtur Perez. *d. l. n.* 12. autoritate Vitruvii, qui *lib.* 10 *cap.* 13. ſcalas aquæductibus atque etiam fontibus aptas eſſe docet, quaſi ſcalæ i. e. trajectus maritimi ſint protenſæ in mare trajiciendi cauſa usque ad navigia, atque in eam rem fuiſſe nautas deſtinatos ſingulis ſcalis, qui certum vectigal inde colligerent, deputatum aquæductibus vel fontibus publicis reparandis. Quando verò juxta vulgarem editionem legas *in univerſis calculis*: hæc fortè cauſa eſt, quia pro qualibet ratione reddita & calculata inter aliquos, ſolvebatur certum quid communi caſſæ. Joh. de Platea *in d. l* 7. *n.* 1. Deinde vectigal aut gabella huic refectioni applicata colligebatur quoque ab operariis i. e. artificibus, qui ratione ſui artificii aliquod vectigal Reipubl. præſtare debent, uti ſunt v. g. textores pannorum vel ratione approbationis faciendæ de iis. Joh. de Platea *d. l.* vel propter nimiam exactionem mercedis, quam ipſi extorquebant faciebantque. Perez. *d. l.* Luc. de Penna *ibid.* Item & à Conſulibus, tempore eorum creationis, donabatur aurum (100. *librarum*) in dictam cauſam convertendum. *l* 2. *l.* 3. *l.* 4. *de conſul.*

XXIII. Quod ſi verò deputata vectigalia deſtinatæque deſcriptiones ſeu gabellæ, non ſufficiunt reparationibus aquæductuum vel fontium publicorum, ex communi pecunia fieri debent, quia communem uſum & utilitatem ſpectant *l.* 7. *C. de oper. publ.* Vectigalibus autem non ſufficientibus, & pecuniâ publicâ deficiente, omnes cives & incolæ conferre tenentur, ut nemo poſſit ſe excuſare ratione privilegii *l.* 6. *C d. t. l.* 4. *C. de priv. dom. Aug. Nov.* 149. *cap.* 3. etiamſi ſit Eccleſia *d. d. tex. & l.* 7. *C. de S. S. Eccleſ.* Magnif. Dn. Præſes *in lect. publ. adh. t. quæſt. ult. ibid. alleg* Caſpar Klockius *tr. de Contribution. cap.* 12. Criſtin. *dec Belg. vol.* 2. *dec.* 9. Add. Gœden. *conſ.* 9. Cœvall. *opin. comm. q.* 415. Hoc expreſsè etiam confirmat Synopſ. Baſil. 1. *c.* 5. Eccleſias ſcilicet à muneribus præſertim ſordidis immunes eſſe, εἰ μὴ ἐν ἀναγκαίων, γεφύρας καὶ ὁδοστρωσιῶν h. e. exceptis fontium & itinerum inſtructionibus, Gothofr. *in d. l.* 7.

quia non eſt inter ſordida munera numeratum *d. l.* 7. Non verò tenetur, fontes publicos reparandi aut reficiendi cauſâ, aliquam deſcriptionem h. e. penſionem ſive ſolutionem ſuſtinere, qui jus habet ducendi aquam ex illis, ſive à Principe, ſive à Senatu, ſive à conſuetudine id acquiſiverit *d. l.* 7. *C. de aquaduct.* Joh. de Platea *ibid.* quia exſecrabile ac inhoneſtum eſt, in benè conſtituta Republ. aquam habere venalem: & propterea jus illud hoc modo potius videtur emtum, quàm ex mera liberalitate Principis obtentum eſſe. *d. l. 7. ibique Gothofr.* Perez. *d. l. n.* 11 Deinde execracilius eſt, ut exterus, nihil habens in civitate, pro aquæ uſu, quam ſumit, & quæ jure naturæ communis eſt omnibus, cogatur ad contribuendum cum aliis hominibus civitatis in ſubventionibus & collectis Luc. de Penna *in d. l.* 7. niſi fortè pro loci qualitate, & extremâ ſiccitate magna ſit aquæ penuria *l.* 14. *de alim. & cib. leg.* Sicut etiam olim non licuit habere aquam privatam, niſi à Cenſoribus venderetur, & puniti ſunt extra ordinem, qui eam in prædia ſua duxerunt. Perez. *d. l. n.* 6.

XXIV. Vigilare igitur Magiſtratus ſeriò & omni curâ debet, ut ne pecunia, huic rei valdè neceſſariæ deputata; in aliud opus quàm aquarum competens impendatur, ſi ſecus fecerit, de ſuis propriis facultatibus ipſam pecuniæ ſummam, fontium publicorum titulô reſarcire cogetur. Hinc proviſum à Zenone Imp. & conſtitutum eſt, ut non ipſe Adminiſtrator Reip. ſed ſpecialis quidam arcarius h. e. ſuſceptor pecuniam hanc cuſtodiendam ſuſcipiat, ſive ex liberalitate Principum, ſive ex aliis titulis ad aquas publicas pertinentibus ea collecta ſit, vel poſtea colligenda *l.* 8. *C. de aquaduct.* Huc pertinet, quod nemini permiſſum ſit, circa fontes publicos arbores plantare, niſi relictô ſpaciô legitimô, videl. 15. pedum in utroq; latere *l.* 1. *C. de aquaduct.*

XXV. An nectenda hic eſt quæſtio: Utrum quis eo caſu, quo poteſt ad refectionem de jure compelli, evitare poſſit onus collationis ipſius, ſi velit renunciare & cedere uſui, quem habet ex aqua vel fonte? Hic præmittendum eſt 1. quòd nulla in promtu ſit pecunia publica, quæ poſſit in hujusmodi operum reparatione converti *l.* 7. *C. de aquaduct.* 2. quòd non vitiô ædificii

dificii fons corruerit: tunc enim ſi malè fuit ædificatus, is ſolus qui imperitiam vel culpam in exſtruendo adhibuit, ad refectionem urgetur *l. 13. §. locat. l. 36. l. f. §. ult. eod.* Vid. ſupra §. 12 Sed ſermo eſt, quando ex cauſa aliqua majori, videlicet terræ motu chaſmate, vel hujusmodi caſibus, quibus reſiſti non poteſt, corruit. Et propterea diſting. aut aqua ducitur ad agros vel poſſesſiones, aut ſervit perſonis. Priori caſu, ſi quidem is, qui vult onus refectionis evitare, paratus eſt relinquere, ipſos agros vel poſſesſiones, ad quas ducitur, audiendus eſt *l. 7. §. 1 de damn. inf. l. 48. l. 64 de uſufr. l. 6. §. 2. ſi ſerv. vind.* Si verò aqua illa ſervit ſolùm perſonis, & tunc ſi non eſt aliàs, unde posſit aquam habere, non eſt audiendus, quia in hoc eſt inſania vel malitia manifeſta, & ita ad collationem cum aliis eſt cogendus, *arg. c. 37. & 38. q. 4. 23.* multa enim bona præſtantur invitis, quando ipſorum conſulitur utilitati non voluntati, quia ſibi ipſis inveniuntur eſſe inimici *c. 11. in fin. diſt. 45.* Si verò poteſt aquam aliunde percipere, audiendus eſt, ſi pauper eſt & forte familiâ oneratus, *arg. l. 64. de uſufr. l. 4. pr. & §. f. de muner. & honor. l. 1. §. 1. & l. 7 C. de aquæduct.* Huc facit *l. f. §. 1. de via & itin. publ.* ubi dicitur: vicinos cogendos ad refectionem viæ, quum is, qui eam debet reficere, ſolvendo non eſt. Et hæc vera ſunt, niſi reficiendus ſit fons, quòd ex uſu haurientium aut ducentium aquam inutilis factus: tunc enim, quia pro tempore præterito convenitur, ad refectionem tenetur, licet ejus uſum cedere paratus ſit *l. 7. de aqu. pl. arc. ibique Gothofr. l. x.* Præterea Judex pro qualitate perſonarum, temporum atque rerum variè & diſcretè in his conſtituet *l. 38. de R. V. l. 25. de pign act. l. 27. pr. de lib. cauſ. l. f. in f. d. O. & A. l. 13. §. 1. de ann. leg. l. 1. pr. & §. 1. de donat.* Luc. de Penna *in d. l. 7. C. de aquæduct.*

XXVI. Cæterùm, ſi quis ex fonte privato aquam ducat vel hauriat, & poſteà, ob illius refectionem, uſui, quem ex illo fonte habet, cedere ac renunciare velit, pactô fieri poteſt. *l. 1. §. 28. de aqu. quot.* Quod ſi verò vicini ad purgandum & reficiendum contribuunt, non poteſt illius uſus fontis prohiberi. Perez. *in tit. C. de Alex. prmat. n. 4.* Conceſsô autem fontis uſu, tacitè hæc jura ſequuntur, ut reficere mihi liceat, & adire cum fa-

bris

bris per tuum fundum, qua proximè poſſum ad reficiendum, *l.* 11. *comm. præd.* nam in omnibus ſervitutibus refectio ad eum pertinet, qui ſibi ſervitutem deberi aſſerit, niſi cedat. *l.* 6. §. 2. *ſi ſerv. vind.* Inſuper neque novum opus reficienti nunciari poteſt, ſed ſi nunciatum ei fuerit, impunè poteſt contemni nunciatio. Cum enim Prætor ei vim fieri vetet, abſurdum eſt per novi operis nunciationem eum impediri. *l. un.* §. 6 *de fonte.*

XXVII. Habuimus jura, quæ circa exſtructionem & reparationem fontium obſervari debent; Jam videamus de juribus vel ſervitutibus, quæ propter illorum uſum aliis communicantur. Harum ſervitutum tres ſunt: aquæductus, aquæhauſtus, & pecoris ad aquam appulſus. Aquæductus eſt jus ducendi aquam ex capite ſeu fonte. *l.* 1. *de S. P. R* *l* 9. *l.* 15. *l.* 21. *l.* 22. *cod.* Magnif. Dn. Præſ. *Exer.* 8. *th.* 22. Manz. *ad pr. J. de Servit. n.* 3. Perez. *tit. ad C. de ſervitut. n* 9. Schneidvv. *ad d t. J. n.* 24. Dicitur jus, quia ſervitutes omnes non in facto, ſed in jure conſiſtunt, & expreſsè jura dicuntur *l.* 1. *in f. de R. D.* Deinde ducitur per fiſtulas *l.* 18. *de S. U. P.* vel per rivos *l.* 11. §. *f. comm præd.* non autem per lapidem, niſi expreſsè in ſervitute conſtituenda comprehenſum ſit; *l* 17. §. 1. *de aq. pl. arc.* Aqua debet eſſe perennis & viva *l.* 1. §. 5. *de aq. quot. l. un.* §. 4. *de fonte.* & effluens, non putealis, aut ita ſubmerſa, ut defluere extra terram atque uſui eſſe non poſſit *d. l.* 1. §. 6.. Duci verò debet à capite *d. l.* §. 7. Caput autem aquæ dicitur, ubi aqua naſcitur, vel ubi primùm emergit. & propterea caput fontis dicitur ipſe fons. *d. l.* 1. §. 5.

XXIIX. Sicuti autem fontes ſuprà diſtinximus in publicos & privatos: ita etiam aquæduct⁹ vel ex publico vel ex privato conſtituitur. Ex publico fonte cuilibet aquam ducere licet in agrum ſuum *l.* 1. § 41. *&* *l.* 3. *de aqu. quot. l.* 17. *de S. P. R.* ſi modò aqua illius fontis in uſu publico non eſt *l.* 2. *de flum. l.* 10. §. *f. de aqu. pluv. arc.* Duar. 1. *D. c.* 52. Hillig. ad Don. 3. *cap.* 4. 6. Tholoſ. *ſyntag. jur. lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 7. Tunc enim Principis autoritas & ſpecialis conceſsio neceſſariò requiritur, *d. d. tex. fac l.* 18. §. 1. *de aqu. pl. arc.* Hinc, quando flumen aliquod ab illius aqua fiat navigabile, vel molendinum alicujus univerſitatis dirigatur, non licet ducere propriâ autoritate

d. d.

d. d. t. x x. ne iter ſtatioque navigii, h. e. uſus navigandi, item molendi corrumpatur, vel difficilior, aut minor aut rarior fiat, aut in totum auferatur *l. 1. pr. &. §. 15. de flum.* Ceſſat verò ratio prohibitionis, ſi fortè aqua fontis publici in mare profluat: Mare enim ut navigabile ſit, non habet à fontibus aliisvè fluminibus, cum flumina & fontes à mari ortum potius ducant, ut ſupra indicavimus. Vid. Hillig. *ad Don. 4. cap. 3. f.* Cœpoll. *de S. P. R. cap. 4. n. 39.* Add. Bart. *ad l. 2. de flum.* Secundò prohibetur, ſi ad alium Reip. uſum conducat, cujusmodi eſt aqua, quæ magnis ſumptibus, rivis foſſisque in urbem ad civium uſum ducitur, caſtellisque recipitur, quam alioverſum ad privatum commodum derivare nefas eſt ſine permiſſu Principis, ne privata utilitas publicis commoditatibus præferatur. Weſenb. *in tr. de S. P. R. n. 2.* Hillig. ad Don. *d. l. G.* Quod quidem nec Princeps permittere poteſt, niſi adjectâ clauſulâ derogatoriâ Gl. *in l. 2. de flumin.* Imò, quando aliquis facit illicitè reſpectu uſus publici, tunc quilibet privatus poteſt impedire *per l. 2. §. idem ait. 29. ne quid in loc. publ.* Cœpoll. *d. l. n. 40 inf.* Frider Mind. *tr. de mandat. l. 1. cap. 38. n. 5.*

XXIX. Cœteroquin extra & præter hosce caſus, licitè quis poteſt autoritate juris naturalis & gent. ex publico fonte aquam ducere, quippe hoc jure publicus eſt aquarum uſus & omnibus patet, & quum quis extra dictæ prohibitionis caſus arcetur in ducendo vel hauriendo ad uſus neceſſarios, non modò actionem injuriarum habet, ſed etiam paratiſſimum Prætoris interdictum Frider. Mind. *tr. de interdict. tit. 11. n. 11.* Poteſt tamen & hoc caſu Princeps aliqua de cauſa interdicere *l. 2. d. flum.* *Connan. comm. jur. civ. 3. c. 2. n. 15.* Dicis (1.) Si ex fonte publico, non exiſtente in uſu publico poſſum aquam ducere jure gent. ſequitur, quòd Princeps non poſſit impedire, quò minùs faciã. Sed prius eſt verum. E. Conſ. prob. quia Dominium, quod juris gent. eſt, Princeps mihi non poteſt auferre, uti colligunt Dd. *ex l. 15. de R. V. §2. de his qui ſunt ſui vel al. jur.* Et ita tenet Gl. *in l. f. C ſi contr. jus vel util. publ.* Reſp. Illud quidem certum eſt, quòd Princeps non poteſt auferre alicui ſine cauſa publicæ utilitatis illud, quod jure Gent. actualiter eſt quæſitum, uti eſt v. g. dominiũ. At

bris per tuum fundum, qua proximè poſſum ad reficiendum, *l.* 11. *comm. præd.* nam in omnibus ſervitutibus refectio ad eum pertinet, qui ſibi ſervitutem deberi aſſerit, niſi cedat. *l.* 6. §. 2. *ſi ſerv. vind.* Inſuper neque novum opus reficienti nunciari poteſt, ſed ſi nunciatum ei fuerit, impunè poteſt contemni nunciatio. Cum enim Prætor ei vim fieri vetet, abſurdum eſt per novi operis nunciationem eum impediri. *l. un.* §. 6 *de fonte.*

XXVII. Habuimus jura, quæ circa exſtructionem & reparationem fontium obſervari debent; Jam videamus de juribus vel ſervitutibus, quæ propter illorum uſum aliis communicantur. Harum ſervitutum tres ſunt: aquæductus, aquæhauſtus, & pecoris ad aquam appulſus. Aquæductus eſt jus ducendi aquam ex capite ſeu fonte. *l.* 1. *de S. P. R* *l* 9. *l.* 15. *l.* 21. *l.* 22. *cod.* Magnif. Dn. Præſ. *Exer.* 8. *th.* 22. Manz. *ad pr. J. de Servit. n.* 3. Perez. *tit. ad C. de ſervitut. n* 9. Schneidvv. *ad d t. J. n.* 24. Dicitur jus, quia ſervitutes omnes non in facto, ſed in jure conſiſtunt, & expreſsè jura dicuntur *l.* 1. *in f. de R. D.* Deinde ducitur per fiſtulas *l.* 18. *de S. U. P.* vel per rivos *l.* 11. §. *f. comm præd.* non autem per lapidem, niſi expreſsè in ſervitute conſtituenda comprehenſum ſit; *l* 17. §. 1. *de aq. pl. arc.* Aqua debet eſſe perennis & viva *l.* 1. §. 5. *de aq. quot. l. un.* §. 4. *de fonte.* & effluens, non putealis, aut ita ſubmerſa, ut defluere extra terram atque uſui eſſe non poſſit *d. l.* 1. §. 6. Duci verò debet à capite *d. l.* §. 7. Caput autem aquæ dicitur, ubi aqua naſcitur, vel ubi primùm emergit. & propterea caput fontis dicitur ipſe fons. *d. l.* 1. §. 8.

XXIIX. Sicuti autem fontes ſuprà diſtinximus in publicos & privatos: ita etiam aquæductus vel ex publico vel ex privato conſtituitur. Ex publico fonte cuilibet aquam ducere licet in agrum ſuum *l.* 1. § 41. & *l.* 3. *de aqu. quot. l.* 17. *de S. P. R.* ſi modò aqua illius fontis in uſu publico non eſt *l.* 2. *de flum. l.* 10. §. *f. de aqu. pluv. arc.* Duar. 1. *D. c.* 52. Hillig. ad Don. 3. *cap.* 4. 6. Tholoſ. *ſyntag. jur. lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 7. Tunc enim Principis autoritas & ſpecialis conceſſio neceſſariò requiritur, *d. d. txx. fac l.* 18. §. 1. *de aqu. pl. arc.* Hinc, quando flumen aliquod ab illius aqua fiat navigabile, vel molendinum alicujus univerſitatis dirigatur, non licet ducere propriâ autoritate

d. d.

d. d. txx. ne iter ſtatioque navigii, h. e. uſus navigandi, item molendi corrumpatur, vel difficilior, aut minor aut rarior fiat, aut in totum auferatur *l. 1. pr. &* §. 15. *de flum.* Ceſſat verò ratio prohibitionis, ſi fortè aqua fontis publici in mare profluat: Mare enim ut navigabile ſit, non habet à fontibus aliisvè fluminibus, cum flumina & fontes à mari ortum potius ducant, ut ſupra indicavimus. Vid. Hillig. *ad Don.* 4. *cap.* 3. *f.* Cœpoll. *de S. P. R. cap.* 4. *n.* 39. Add. Bart. *ad l.* 2. *de flum.* Secundò prohibetur, ſi ad alium Reip. uſum conducat, cujusmodi eſt aqua, quæ magnis ſumptibus, rivis foſſisque in urbem ad civium uſum ducitur, caſtellisque recipitur, quam alioverſum ad privatum commodum derivare nefas eſt ſine permiſſu Principis, ne privata utilitas publicis commoditaribus præferatur. Weſenb. *in π. de S. P. R. n.* 2. Hillig. ad Don. *d. l. G.* Quod quidem nec Princeps permittere poteſt, niſi adjectâ clauſulâ derogatoriâ. Gl. *in l.* 2. *de flumin.* Imò, quando aliquis facit illicitè reſpectu uſus publici, tunc quilibet privatus poteſt impedire *per l.* 2. §. *idem ait.* 29. *ne quid in loc. publ.* Cœpoll. *d. l. n.* 40 *inf.* Frider Mind. *tr. de mandat. l.* 2. *cap.* 38. *n.* 5.

XXIX. Cœteroquin extra & præter hosce caſus, licitè quis poteſt autoritate juris naturalis & gent. ex publico fonte aquam ducere, quippe hoc jure publicus eſt aquarum uſus & omnibus patet, & quum quis extra dictæ prohibitionis caſus arcetur in ducendo vel hauriendo ad uſus neceſſarios, non modò actionem injuriarum habet, ſed etiam paratisſimum Prætoris interdictum Frider. Mind. *tr. de interdict. tit.* 11. *n.* 11. Poteſt tamen & hoc caſu Princeps aliqua de cauſa interdicere *l.* 2. *d. flum. Connan, comm. jur. civ.* 3. *c.* 2. *n.* 15. Dicis (1.) Si ex fonte publico, non exiſtente in uſu publico poſſum aquam ducere jure gent. ſequitur, quòd Princeps non poſſit impedire, quò minùs faciã. Sed prius eſt verum. E. Conſ. prob. quia Dominium, quod juris gent. eſt, Princeps mihi non poteſt auferre, uti colligunt Dd. *ex l.* 15. *de R. V.* §2. *de his qui ſunt ſui vel al. jur.* Et ita tenet Gl. *in l. f. C. ſi contr. jus vel util. publ.* Reſp. Illud quidem certum eſt, quòd Princeps non poteſt auferre alicui ſine cauſa publicæ utilitatis illud, quod jure Gent. actualiter eſt quæſitum, uti eſt v. g. dominiũ. At

D vetare

vetare, aqua ducatur ex fonte publico, non eſt auferre dominium, vel jus actualiter quæſitum, ſed merum uſum facultatis ſimplicis occupando prævertere. *Ita Reſpondet* Nobiliſſimus Dn. Strauch. *in prælect. publ. ad l. 2. de flum.* Dicis (2.) Omnes publici fontes ſunt in uſu publico. E. ex nullo poteſt duci aqua. Reſp. Bifariam dicitur aliquid eſſe in uſu publico (1.) ratione juris Gent. & tunc ejus uſus cuilibet patet ad quemcunque uſum. (2.) ratione civitatis, vel municipii, ſcilicet ut entis illâ aquâ ad balneum &c. Hinc, quando dicimus ex fonte publico poſſe duci aquam, niſi ſit in uſu publico, intellige modô poſteriori. Ita Bart. *d. l.* & Nobiliſs. Dn. Stauch. *d. l.*

XXX. Limitandum venit, quod diximus, aquam non licere ducere ex fonte publico, quæ ad certum uſum publicum jam deſtinata eſt, ſi ſcilicet ita penitùs ab uſu iſto avertatur. Sed ſi ita ducitur, ut nihilominus in uſum illum rurſus ſe exoneret, iſtud non eſt prohibitum; veluti tradit Bart. *in l. 2. de flum. n. 1.* Quod ſi duo quidam habeant prædia juxta fontem publicum, qui in uſu publico non eſt, quilibet eorum poteſt inde aquam ſumere ad irrigandum ſuum prædium, ita tamen, ut non plus ducat quàm neceſſe prædium habet; ubi verò alter ex privilegio vel principis vel conſuetudinis immemoralis oſtendit, ſibi plus licere, ſine hujus commodo, eôque invitô, alter ducere non poteſt *l. 17. de S. P. R.* & ille ſolus hunc poteſt impedire non alius tertius, quia quantum ad eum illicitè facit *l. 4. §. 7. ſi ſerv. vind.* Bart. *d. l. n. 7.* Ubi verò alter priori non nocet, ſi v. g. aqua eſt ſufficiens etiam eo invitô poſterior ducere rectè poteſt, ut ille hunc impedire nequeat *arg. l. 2. §. 2. de S. P. R.* Cœpoll. *h. t. cap. 4. n. 43.*

XXXI. Animadvertendum eſt, dari hoc jus interdum prædiis, & tunc eſt reale, quod exſtinctâ perſonâ non exſtinguitur: interdum perſonis, & ideò ad alium dominum prædiorum non tranſit, neque ad hæredem vel ſucceſſorem qualemcunque *l. 1. §. 43. de aqu. quot.* mortuô tamen eo, cui conceſſum fuerat, à Principe ſucceſſor noviter impetrare debet ac poteſt, adeò ut injuriâ eum affici JCtus dicat, cui id denegatum fuerit *d. l §. 44.* Frontin. *de aquæduct. Rom. lib. 2.* Sed quare Ulp. ait *in d. §.* injuri-

injuriam eſſe, ſi non impetraverit. Reſpondet Duar. *ad tit. de aqu. pl arc. c. 3.* Principes conſtituiſſe à ſe impetrari, ut fortè aliquid extorquerent à novis ſucceſſoribus, idque exempli loco à Tiberio & ejus ſucceſſoribus ad Titum usque factitatum fuiſſe ex aliis refert: At Titum omnia beneficia unô edictô confirmaſſe, nec à ſe peti paſſum eſſe. Similiter hodiè confirmatio munerum publicorum à Principe ſucceſſore petitur, quæ ſi denegaretur, injuria fieret à Principe. Videtur & hoc jus concedendi ex fonte publico olim datum Prætoribus. *l. 10. §. f. de aqu. pl. arc.* item Senatui. *l. 2. de flumin.* eo quòd populi vel Principis autoritatem referrent; Vel iſti tantum causâ cognitâ concedebant, ſi non noceretur publicæ utilitati. Tholoſ. *Syntag. jur. lib. 4. c. 15. n. 2.* Sed quid ſi Princeps contra utilitatem publicam conceſſerit jus aquam ducendi? Reſp. Conceſſio iſthæc non ſubſiſtit, quia reſcripta adverſus uſum publicum nullius ſunt momenti. *l. 2. C. de nav. non excuſ. l. 2. C. de can. frum. urb. Rom. l. 9. C. de aquaduct.*

XXXII. Cœterùm, aliquando poteſtas aquam ducendi ex fonte publico acquiritur præſcriptione immemorali vel tantô tempore, cujus initii memoria non extat, *l. 4. C. de aqueduct. l. 3. §. 4. de aqu. quot.* Cœpoll. *de S. P. R. c. 4. n. 55* Tholos. *d. l. n. 3.* ejusmodi enim tempus habet vim tituli vel privilegii ab ipſo Principe conceſſi *d. §. 4. c. ſuper quibusd. §. præterea. de V. S.* Gilken. *de præſcript. p. 3. c. 8. n. 23.* Minſing. *1. o. 20.* Gail. *1. o. 85. n. 6. & 2. o. 161. n. 7. & de arreſt. Imper. c. 17. n. 16.* Jaſon. *lib. de oper. colum. 13. ff. de Legib.* Alex. *vol. 5. conſ. 24. n. 14. & ſeq.* Felin. *in c. 14. n. 7. de præſcript.* vim ſervitutis jure conſtitutæ *per l. 1. in fin. l. 2. §. 7. de aqu. pl. arc.* & tantô tempore præſumitur jure poſſeſſum, ſive jus commune reſiſtat præſcribenti, ſive non *arg. c. 1. de præſcript. in 6.* Gebhard. *de uſuc. c. 6. n. 2.* Schneid. *ad tit. 3. de uſuc. n. 27.* Hæc immemoralis præſcriptio ſolet probari per teſtes, deponentes, ſe à majoribus ſemper audiviſſe, aquam hoc modo è fonte publico ductam. Schneidew. *ad tit. 7. de uſuc. §. 3. n. 36.*

XXXIII. Quid verò jure Saxon. circa hanc rem obtinet, ubi talis præſcriptio non reperitur? Duæ quidem ſolummodo

ſpecies præſcriptionis in jure Saxon. exſtant, annalis videlicet & tricenalis. Illa reſpondet uſucapioni triennali juris civil. eſtq; unius anni 6. ſeptimanarum & 3. dierum **Jahr und Tag/ Weichbild** *art.* 4. *& art.* 21. *pr. ibiquegl.* & reſpicit res mobiles **LandR.** *lib.* 1. *art.* 28. *& lib.* 2. *art*, 44. *pr.* unde rebus utenſilibus, expeditoriis & commeſtibilibus ſeu victualibus, **Gerade/ Heergewette/ und Mußtheil/** annô præſcribitur *d. art.* 28. Goldbeck. *de Gerad. c.* 19. Heig. 1. *q.* 16. *n.* 35. Hæc, ſcilicet tricennalis, eſt ſpatium 30. annorum, 6. ſeptim. & 3. dierum **Dreyßig Jahr/ Jahr und Tag. LandR.** 1. *art.* 29. & hæc unica præſcriptio reſpondet præſcriptioni longi & longiſſimi temporis in jure civ. eâque præſcribuntur bona immobilia, actiones, ſervitutes & alia jura incorporalia. Heig. *d. l. n.* 38. Zobel. *diff. jur. civ. & Saxon. part.* 2. *diff.* 1. *n.* 1. Gœden. *conſ.* 2. *n.* 56. Weſenb. *conſ.* 42. *n.* 35. Schurff. 1. *conſ.* 69. *n.* 7. *& ſeq.* Nihilominus tamen præſcriptiones propter cauſarum vel perſonarum ſingularem prærogativam à jure civil. & can. introductæ etiam jure Saxon. obtinent, & quælibet procedit in ſuo caſu. Zobel. *d. l.* Unde quando jure civili certis caſibus præſcriptio 40. annorum, (veluti in bonis civitatis. Magnif. Dn. Præſes *Ex.* 43. *th.* 9. Nobiliſs. Dn. Hahn, obſerv. ad Weſenb. *tit. d. uſurp. & uſuc. n.* 9. ibique Nobiliſs. Dn. Ludvvell.) & temporis immemorialis vel centenarii requiritur, jure quoq; Sax. procedit Gebhard. *d. tr. c.* 4. *n* 13. Magnif. Dn. Præſes *Exerc. ad π.* 43. *th.* 25. Magnif. Dn. Carpzov. *dec. illuſtr.* 21. *&* 1. *reſp.* 35. quia de jure Saxon. in iſtis cauſis nihil ſpeciale conſtitutum. Heig. *d. l. n.* 48.

XXXIV. Ex privati alicujus fonte ſi quis aquam ducere cupiat, neceſſariò voluntatem domini ſeu ejus in cujus loco fons oritur, exquirere debet *l.* 8. *de aq. pl. arc. l.* 4. *C. de ſervit. ibique Gothof. lit. L.* ratio eſt in *l.* 11. *de R. J.* & dominus fontis, quo minus autoritate propriâ ducatur, interdicere valet, & qvum in tempore ita prohibet, neque ſumtus in eam rem facti ab eo reddet poſſunt *arg. l.* 2. *C. de ſervit.* ubi verò alii cuidam uſus vel ſervitus ejusdem aquæ jam ante debetur unà cum domini voluntate etiam conſenſus utentis exigi debet *d. l.* 8. cum aliàs

jus

jus ejus imminueretur, quod eo invitô [neque dominus fontis, neque alius quis facere poteſt Gothofr. *in h. l.* quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet *c. 29. de R. J. in 6.* *VVeſ. de S. P. R. n 2.* Neque ſolius ejus, ad quem uſus aquæ pertinet, voluntas ſufficit, ut alteri aquam ducere liceat, ſed etiam domini locorum, licèt dominus uti eâ aquâ non poſſit, quia recidere jus ſolidum ad eum poteſt *l. 9. §. 3. de aq. pl. arc.* & ſervitus quidem ſervitutis eſſe nequit *l. 1. de uſu & uſufr. leg.* pactum tamen & ſtipulatio valet, quâ alteri iterum hauſtus conceditur aquæ, cujus ductum jure ſervitutis quis habet *l. 33. d. S. P. R.* Sed quid ſi nullus adhuc fons in prædio alicujus ſcaturiat, numquid nihilominus jus aquæ quærendæ, ac inventæ ducendæ concedi vel conſtitui poteſt? Sic eſt. Vide Labonem *in l. 10. de S. P. R.* Sed hic Labeo Antagoniſtam habet Paulum *in ult. ſi ſerv. vind.* Hanc pugnam ſolvunt optimè Don. & Hillig. *11. c. 10. H.* Nimirum, ſi conjunctim conſtitueretur jus aquæ quærendæ & inventæ ducendæ, Labeonem admiſiſſe ſervitutem, quia hîc traditio fieri poſſit juris fodiendi & inveſtigandi; Sin verò ſeparatim, ut aquam, quæ nondum inventa, nulla ejus quærendæ mentione factâ, ducere liceret, non admiſiſſe; quia ridiculum eſſet, ſervitutem imponere ejus rei nomine, quæ nondum exiſtit. Aliter reſpondet *Govean.* 1. *var. lect. c.* 17. cujus opinionem ſequitur Bach. *ad Tr.* 1. *D.* 17. *th.* 5. *a.* Wiſſenbach. *D. ad π. part.* 1. *D.* 20. *ſ.* 17. aliter Hottom. 8. *O.* 13. Hæc de prima cauſa.

XXXV. Secunda cauſa eſt vetuſtas temporis (inter præſentes 10. inter abſentes 20. annorum) *l. 26. de aqv. pl. arc.* ubi in relativo *quibus* ſubaudiri debet aquæductibus. Duar. *ad tit. iſtum. c.* 3. Diſſ. Bart. *ad d. l.* Hinc quando quis ex alicujus fonte, longô tempore duxit aquam, non habet neceſſe, neque cogi poteſt ut doceat, quo jure ac titulo atque ſic impediri non poteſt à domino vel alio quodam, quo minùs aquam ducat de dicto fonte ad ſuum fundum *per tx. notab in l.* 10. *ſi ſerv. vind. ubi Gl. & Dd. comm.* Gœpoll. *de S. P. R. c.* 40. *n.* 3. Don. 11. *c.* 11. ibique Hillig. Imò & ſola quaſi poſſeſſio ducendi aquam ſufficit, ut probatio de ipſo jure ſervitutis & de titulo non ſit ne-

ceſſaria, dummodò ex errore facti quis putet, ſe jure ſervitutis conſtitutæ aquam ducere, etſi nulla ei conſtituta ſit, *vid. l. 1. §. 10. de aqu. quot. & æſt.* Diſſent. Menoch. *de retin. poſſeſſ. n. 11.* & *d.* §. 10. ita accipit, quaſi præſupponat ibi Ulpianus, ſervitutem debere eſſe conſtitutam, idque colligere vult ex verbis JCti, dum ſubiicit, quòd illi, qui ſcit, ſe nullum jus habere, non concedatur interdictum, quaſi hoc velit JCtus, quòd is, qui jus habet ducendi, debeat putare, ſe eo jure uti, non aliò. Verùm hæc ſententia Menochii non videtur vera, quoniam omnium interdictorum effectus eſt, ut poſſeſſores in quaſi quaſi poſſesſione, modo eam nec vi, nec clam, nec precariò teneant, conſerventur. Frider. *de interdict. tit. 11. n. 40.* Eo enim ipſo, dum poſſidenti vel quaſi ex dictis tribus modis nihil poteſt opponi, is ad ulteriorem tituli probationem non tenetur. Nec obſt. 2. quando Menoch. *ex l. 10. ſi ſerv. vind.* exinde, quod Vlpianus in præſcriptione ſervitutis aquam ducendi, non fore neceſſarium titulum ait, à contrario ſenſu colligit, E. præſcriptione non exſtante, neceſſarium titulum eſſe. Quia Vlpianus in illa lege loquitur de judicio petitorio & actione confesſoria, ubi argumentum Menochii benè procedit, non verò de poſſeſſore. Nam inter alia & plurima commoda poſſesſionis hoc præcipuum eſt, quòd poſſesſio transfert onus probandi in actorem, Fachin. *11. controv. c. 56.* adeò ut licet res poſſeſſa ad reum & poſſeſſorem non ſpectet, nihilominus ſi actor non posſit probare, & clarisſimis documentis demonſtrare, eam rem ſuam eſſe, remanet reus in poſſesſione ſive dominus ſit, ſive non; quia actore non probante, reus, etſi nihil præſtiterit, abſolvendus. *l. 4. C. de edend.* & in pari cauſa melior eſt conditio poſſidentis. *cap. 65. de R. J. in 6.* Manz. *ad §. 4. J. de interdict. n. 11. & ſeq.* Nobilisſ. Dn. Strauch. *in prælect. publ. ad d. l. 1. §. 10. de aqu. quot.* Nobilisſ. Dn. Hahn ad Weſenb. *de aqu. quot. n. 4.* Frider. *d. l. n. 22.*

XXXVI. Aqua verò ex fonte Titii in vicinorum prædia per ſe profluens non poteſt inducere præſcriptionem vel conſuetudinem, niſi domini illorum prædiorum eam ad uſum uſurparint; tunc enim ſi per longum tempus uſus ille, ſciente & patiente Titiô, duraverit, hic aquam vicinis auferre, & ad pro-

prium

prium uſum aliò derivare nequit (1.) *per l. 3. §. 4. de aq. quot.* (2.) *l. 1. in f. de aq. pl. arc.* (3.) *per l. 7. C. de ſervit.* (4.) *per l. 10. ſic ſervit. vind.* Cœpoll. *de S. P. R. c. 4. n. 52. & de S. P. U. c. 22. n. 4.*

XXXVII. In genere autem illud obſervandum eſt de aquæductu, quòd ille non immutari, ſed aqua duci debeat, ſicut hôc annô ducta eſt, eodem modô & viâ, aliàs impunè vis fiet *l. 1. §. 15. de aq. quot.* adeò, ut ſi quis aquæ, quam hôc annô duxit, aliam aquam admiſcuerit, ut ſcilicet in fundum ſuum uberior decurrat, in tota aqua rectè prohibeatur, eò quòd aqua dividi facilè nequit *d. l. §. 17.* Poteſt aquæductus pluribus concedi, ut ſine dierum diſtinctione utantur, vel etiam ut alterna ſint utendi tempora Mynſ. *ad pr. J. de ſervit. n. 10.* Sed quid ſi pluribus ſimul & ſimpliciter conceditur, quia omnibus ſufficit, illi verò non conveniunt, quemadmodum utantur? Agent inter ſe communi dividundo, ut ſcilicet aqua vel menſurâ vel temporibus dividatur *l. 4. de aq. quot. & æſt.* Si aquæductum ab aliò habeam, prædiis poſteà auctis, ulterius aquam deducere non licet, quàm ab initio convenit *l. 12. C. de ſervit.* Quod ſi verò aqua jam eſt ingreſſa in fines prædii, ad aliud quoque prædium diſtribuere eam poſſum, dummodo non noceam dominò fontis *l. 1. §. 16. de aq. quot.* ejus enim potior cauſa eſt. *l. 6. C. de ſervit.* Quod ſi locus publicus interveniat, nonniſi permiſſu Principis aquam ducere licet, quia iſte locus aquæductum impedit *l. 14. §. 2. de ſervit.* Debet autem conceſſio Principis ita fieri, ne publicum incommodetur *l. 2. §. 16. ne quid in loc. publ.* Vid. Coraſ. *ad d. l. 14. §. 2. de ſervit. n. 15.* locô verò ſacro & religioſô interveniente, nullus ductus, nullaque planè ſervitus conſtitui poteſt *d. §. 2. & l. 17. §. pen. de aq. pl. arc.* Coraſ. *d. l. n. 16.*

XXXVIII. Secundò ex fontibus conſtituitur aquæhauſtus, qui definitur jus hauriendæ aquæ ex fonte alienò aut puteo. Magnif. Dn. Præſ. *Exer. 8. th. 23.* Manz. *ad §. 2. J. de ſerv. n. 13.* Non tantùm enim illi aquæ imponitur, quæ per ſe fluit, duciq; poteſt, qualis eſt aqua fontana; verùm etiam ei, quæ eſt ſubmerſa & duci nequit, veluti aqua putealis *l. 1. §. 6. de aq. quot.* Quando verò alicui jus hauriendi & adeundi ſimul conceſſum eſt, utrumq; habet, ſi tantùm hauriendi, ineſt & aditus, ſi tantùm

adeundi

adeundi ad fontem, ineſt & hauſtus *l. 3. §. fin. de S. P. R.* Quid quod unicô ex his conceſsô, omne ſimul id, ſine quo commodè hoc jure uti nequimus, conceſſum intelligatur *l. 3. l. 11. §. 1. comm. præd.* Hæc tamen intelligenda ſolùm ſunt de fonte privato. Don. *11. c. 14. A.* Cœpoll. *de S. P. R. c. 7. n. 6.* de quo etiam accipienda eſt *l. 2. comm. præd.* Hillig. ad Don. *d. c. 14. B.* Bronch. *2. aſſ. 4.* Cujac. *3. o. 28.* Unde ſi quis hauſtum ex fonte publico alicui ceſſerit, & ſic ex re non ſua nec privati juris, nihil agit *l. 3. §. f. de S. P. R.* adeò ut ne aditus tali conceſſione contineatur. Duar. *in d. l. 3.* quia quum expreſſum eſt invalidum, neq; valet tacitum Gl. ibid. iter tamen ad eundem poteſt cedere *d. §. f.* Licet etiam *d. l. 2. comm. præd.* de publico fonte intelligamus, ex ea tamen inferri non poteſt, privatum poſſe ex publico fonte hauſtum concedere, cùm ea de tali caſu loquatur, quo quis à Principe jus aquæ hauriendæ ex publico impetravit, & poſtea cum vicino convenit, ut ſibi aquam illam per ipſius prædium ducere liceret, quæſitum fuit an illa facultas rectè ſervitus appellari poſſet. Cum verò quidam dubitaſſent, hanc propriè ſervitutem eſſe, tandem per reſcriptum imperatoris eam conventionem tuitione Prætoris defendendam eſſe conſtitutum refert Ulpianus ibid. Vid. Hottom. *1. reſp. amic. c. 15.*

XXXIX. Non impedit ſervitutem aquæ hauſtûs via publica interveniens: imò neque flumen publicum, ſi non eſt tantæ altitudinis, quin vado tranſiri poſſit. *l. 17. §. 2. de aqu. pl. arc.* impedit tamen locus ſacer ac religioſus. *d. l. §. 3.* Intercedente verò fundô alicujus privati, tunc acquirere poſſum ſervitutem hauſtus ex tuo fonte, ſi mihi medius dominus iter ad tranſeundum conceſſerit. *d. l. §. 4.* Inſuper, ſi quis foris habeat fontem, ex quo hactenus vicini aquam haurire conſveverunt, illumque poſtea tollere & in ædes vel hortum locumvè privatiorem coërcere velit, quæritur an poſſit, invitis fortè vicinis? Diſt. aut vicini aquam hauſerunt, jure familiaritatis & rectè poterit: *arg. l. 41. de acq. vel am. poſſ.* aut jure acquiſitô, & hîc vicini non poſſunt cogi, ut admittant mutationem iſtam, etiamſi ille viciniis promittat, ſuas ædes ſemper debere patere & aquæ communionem permanere Frid. *de interdict. tit. 11. n. 36.* Poteſt etiam aquæhau-

ſtûs

ſtûs pluribus concedi, ſi aqua ſufficiat, ut iisdem diebus vel horis eâ utantur; ſin minùs ſufficiens ſit, alternis conventione, conſtitutis temporibus utentur *l.2. §.f. l. 3. de S. P. R* Perez. *ad Tit C. de ſervit*. Hinc, quando urbs quædam in loco ſublimiori ſita eſt, ſuburbia in depresſiori, rectè modificari uſus fontium vel puteorum ſuburbicariorum poteſt, ut in die certis horis ſaltem hauriatur aqua, ſi aliàs ex perpetuo eorum uſu ac hauſtu fontes vel putei in urbe deficerent.

XL. Tandem ex fontibus etiam naſcitur pecoris ad aquam appulſus, qui eſt jus pecora appellendi ad fontem vicini vel puteum. Magnif. Dn. Præſes *d Exer. th.* 24. Cœpoll. *de S. P. R. c.* 8. *n.* 1. Pecoris appellatione veniunt omnes quadrupedes, quæ gregatim habentur & paſcuntur *l.2 §. 2. ad L. Aquil. ſ. 1. J. eod.* Qui verò jus habet pecoris ad fontem appellendi, ſi plura pecora appulerit, quæritur, an in univerſum prohiberi posſit? Circa hanc quæſtionem JCti Trebatius & Marcellus non convenêre, uti apparet *ex l.* 1. §. 18. *de aqv. quot.* ille affirm. hic neg. Marcelli tamen ſententia tanquam æquior obtinuit *d.* §. 18. quia ſeparari pecora posſint. Nam in his quæ dividua ſunt & ſeparabilia, utile per inutile non vitiatur *l.* 5. *ſ.* 2. *de donat. int. vir. & ux. l.* 1 §. 5. *de V O. cap.* 39. *de elect. in* 6. *& c.* 37. *de R. J. in* 6. *Coras. ad l.* 1. *de ſervit. n.* 134. Neque, ſi certa animalium ſpecies in ſervitute ſignificata eſt, pro illis alia animalia appelli poſſunt Magnif. Dn. Præſes *d. th.*

XLI. In univerſum autem de omnibus hiſce ſervitutibus ac juribus circa fontes obſervandum, neminem poſſe ſervitutibus hiſce aliter uti, quàm initió conſtitum *l.* 13. *pr. l.* 20 *pr. de S.P. R.* Poſſunt ſingulæ pluribus concedi, ſi ſine injuria prioris id fiat. Perez. *ad tit. C. de ſervit. n.* 10. Conceduntur autem ſervitutes vel contemplatione prædiorum, & quæ inibi aluntur, pecorum, & vocantur ſervitutes reales ac ruſticæ *l.* 4. *de S. P. R.* vel contemplatione perſonæ, & ſunt perſonales *l.* 14. *ſ. ult. de alim. leg.* Sed in dubio conſtitui prædiis intelliguntur *l.* 2. 3. 5. 6. 37. *de S. P. R.* Ultimò quæritur: Si fons, ex quo jus aquâ utendi habeo, exaruerit, iſque poſt conſtitutum tempus, quo aliàs ſervitus amitteretur, ad venas ſuas redierit, & eodem fonte fluere aqua cœperit, numquid ſervitus non utendo erit amiſſa, an

E ſa, an

ſa, an eâ aquâ rurſus uti licebit? Hanc quæſtionem quidem propoſuit Pampinianus *in l.* 34. §. 1. *de S. P. R.* Sed reſponſionem non adjecit. Definitur verò ea quæſtio in *l. ſubſeq.* 35. reſcriptô Imperatoris; Nimirùm, non utendo amiſſam quidem ſervitutem eſſe tempore legitimô, ſed ex æquitate eam renovari, & reſtitui fonte reverſô; quia non meâ culpâ jus fontis amiſi. Conf latiùs Cujac. *comm. ad quæſt. Papin. in d.* §. Quod ſi v. non eôdem, ſed aliô locô ille emergat, ſervitus exſtinguit, quatenus ſcilicet aliud prædium intercedat, cui ſervitus impoſita non ſit *l.* 3. §. 2. *de aqv. quot.*

XLII. Quædam nunc adjungenda veniunt de delictis, eorumque pœnis. Delinquitur autem in fontes 1. eos venenis inficiendo homines necandi causâ. Quod delictum eſt gravisſimum & atrocisſimum Gomez. *var. reſol* 3. *c.* 3. *n.* 7. *Gl. in l.* 1. *C. de malef. & mathem* Gravius enim reputatur, hominem exſtinguere venenô, quàm gladiô *d. l* 1. ideoq; & pœna propter ejus atrocitatem exaſperanda & aggravanda eſt: præſertim quando plures & vel tota aliqua civitas venenosô hôc crimine perierunt. Dn. Carpz *prax. Crim. p.* 1. *q.* 20. *n.* 49. Jure quidem civ. pœna gladii conſtituta eſt §. 5 *verſ. Ead leg. J. de publ. jud* at jure Sax. ignis Landr. 2. *art.* 13. Coler. *dec.* 150 *n.* 11. Berlich. 4. *concluſ.* 26. *n.* 7. 11. *&* 12. Conſtitutione criminal. Carol. maribus pœna rotæ; fœminis ſuffocatio in aquis decernitur *d. conſt. art.* 27. quæ pœna in noſtris quoque terris obtinet. Vid. latiùs Dn. Carpzov. *d. q.* 20. *& ſeq.* (2.) venas fontium avertendo vel intercipiendo. Atque hoc, ſi ad interitum cædemq; hominum factum fuerit, ſitiq; plures illorum jam perierint, morte puniri debet. Nam ſi nihil intereſt, utrum quis occidat, an cauſam mortis præbeat *l.* 15. *ad L. Corn. de ſicar.* cur non & hoc caſu pœna mortis locum habeat, ubi cædes hominum inſecuta. Cæterùm, qui ex fontibus publicis aquam uſurpant, vel clandeſtinis inſidiis ſubripiunt, ea intentione, ut urbis commoda mutilet, eam non tantùm reſtituere uſui publico compellitur, ſed prædia quoque, in quæ derivavit, confiſcantur, & nemini, cujuscunque ſit dignitatis ſuper ejusmodi pœna venia tribuitur Perez. *in tit. C. de aquæduct. n.* 4. *& ſeq.* Sed quær. An tempore belli ab hoſtibus licitè fontes venenô posſint infici? Jure belli quidem indiſtinctè hoſtibus hoſtes interficere licet Grot. *de J. B. & P. lib.*

3. *c.* 4.

3. c. 4. n. 5. at jure gent. ſi non omnium, ſanè meliorum, hoſtem venenô interficere, impium eſt atque illicitum Grot. *d. l. n. 15.* ſiquidem armis bella non venenis geri oportet Zevecot. *in not. polit. ad Flor. lib. 2. c. ult.* & quamvis hôc modô maturam hoſtes conſequantur victoriam, infamis tamen ſimul ea eſt, quia non tantùm contra mores majorum, ſed etiam contra fas Deûm fit, uti loquitur Florus *d. l. in fin.* Sed enim iſtud prohibitum in bello non eſt, fontes ſine veneno ita corrumpere, ut ad potum adhiberi nequeant v. g. cadaveribus, abeſto. Id enim perinde habere, quaſi avertantur fontium venæ atq; intercipiantur, quod nat. & gent. jure licitum eſt. Grot. *d. l. n. 17.* & exemplis confirmat Frontin. de ſtratagemat. *lib. 3. c. 7. n. 2.*

XLIV. Tandem reſtat, ut etiam de remediis, quæ ratione fontium à Prætore dantur, pauca ſubnectamus. Illa verò remedia ſunt duo interdicta prohibitoria. Primum interdictum eſt de fonte utendo. Atque per hoc Prætor vim fieri vetat, quo minùs quis aquâ ita utatur, veluti hôc annô nec vi, nec clam, nec precariò ex fonte adverſarii uſus eſt. *l. 1. pr. de fonte.* prohibensque ad tacendum cogi poteſt. Molin. *de j. & j. n. 31.* Et quidem locum habet, ſi quis haurire aquam prohibeatur, vel pecus ad eum appellere. *d. l. 1. §. 2.* non verò ſi ducere prohibeatur, quia ſicut diſcretæ ſunt ſervitutes ductus aquæ & hauſtus; ita interdicta ſeparatim redduntur *d. l. 1. §. 1.* Bach. *ad Tr. 2. D. 25. th. 4. K.* Diſſent. Treutl. *d. l.* Ut autem hoc interdictum competat, requiritur aqua viva & perennis ſive frigida ea ſit ſive calida *l. 1. § 13 de aqu. quot.* Et quamvis illud loquatur de fonte, támen & de lacu, puteo, piſcina intelligendum eſt, ſi aquam vivam aut perennem habeant. *d. l. 1. §. 4 de fonte.* Si verò non habeant, ceſſat; utile tamen competit, quod etiam pro ciſternis datur, quæ pariter vivam non habent. Frid. *de interdict. tit. 13. n. 7.* Adhiberi quoq; poteſt ad ſopiendas rixas inter ſocios vel vicinos ortas, dum ſcil. alter præ altero contra morem ac debitum aquâ uti inſiſtat, nec ſibi invicem cedere velint. Frid. *d. l.* Sed nunquid & illi datur, qui noctis tempore aquâ uti prohibetur? Rectè affirm. Frid. *d. l. n. 10.* niſi ſervitus expreſsè conſtituta ſit, ut quis interdiu tantùm utatur. Inſuper, longè commodius eſt hoc interdictum, quàm actio confeſſoria, utpote in quâ jus ſervitutis probare

debeo.

debeo. Dn. Hahn ad Weſenb. *de fonte, n.* 2. Ceſſat verò ſi hôc anno fonte uſus non ſim, vel uſus quidem, ſed vi, clam, precario, quæ exceptio conſtat ex verbis interdicti.

XLIII. Secundum interdictum eſt de fonte reficiendo, quo Prætor illi ſuccurrere voluit, qui ab adverſario impeditur quò minùs commodè fontem reficiat, purget *l. un. §. 6. de fonte.* Niſi enim purgare & reficere fontem licuerit, nullus uſus ejus erit. § 7. neque aqua coërceri & contineri poterit, §. 8. Deinde interdictum egregiè facit ad tuendam fontis & aquæ munditiem. Nam tametſi ex fonte vel puteo haurire quidem moris ſit, videlicet ad coquendum, lavandum, aliosq; uſus puriores, ſi verò alius non haurire civiliter, ſed ſuas etiam ſordidas veſtes, induſia, centones ex fonte rectà proluere, vel etiam ſordidisſimis hauſtris, orcis atque vaſculis immisſis aquam haurire ſatagat; igitur beneficiô hujus interdicti rectè cohiberi poteſt. Imò, competit etiam, quando non in fonte ipſo, ſed propè vel juxta fontem puteumvè ſordidæ lotiones fiant, ut in eosd. ſordidatæ ac inquinatæ aquæ aut elotiones refluant. Frider. *c. l. n.* 11. ubi etiam docet, hôc interdictô vicinos compelli poſſe, ut ſumtus reparandis & conſervandis fontibus, ruinam aliàs minitantibus, conferant, vel ſaltem de refundendis pro rata expenſis caveant, cum valdè periculoſum ſit, expenſas ferre ſub ſpe reſtitutionis. Oportet autem ut refecturus de damno infecto caveat. *l. 3. §. 9 de rivis.* Magnif. Dn Præſ. *Exer. ad x.* 45. & 147.

Hæc, L. B. æqui boniq; conſule. Cum Deo & die meliora.

QVam præclara tibi ſit parta ſcientia Juris
Sedulitate tua, quæ proſtat, publica charta
Hæc loquitur: tandem, ſi perges, larga laborum
Præmia, quæ patriæ pergrata futura, capeſſes.

Eximio Dn. Reſpondenti, Convictori & Inquilino ſuo perdilecto, bonæ Scientiæ teſtandæ cauſa, de prop.

JOHANNES MUSÆUS, D. & P. P.

EX fonte exponis fontes benè, dotibus opto
Te beet eximiis fons & origo boni!

Virtute & eruditione Præſtanti Dn. Reſpondenti & Diſſertationis doctè conſcriptæ auctori gratulatur

GEORGIUS ADAMUS Struve, D.